

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6947

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Angers, Saint-Aubin (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : ...1166...

Lieu d'émission : Angers

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relative à une vigne des environs de La Flèche, sur laquelle les droits de l'abbaye de Saint-Aubin d'Angers et du prieuré de la Flèche furent reconnus par la cour du roi et de la reine, à Angers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLXIII, t. 1, p. 408-410.

Dissertation critique

« Vers 1166 ? » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 409.

Texte établi d'après a

Et res et ratio postulat ut quicquid memoria dignum agitur litteris commendetur. Noverint igitur presentes et futuri quod Gaufridus filius Guarini de Molnat, quando Johannem clericum, fratrem suum, in ecclesia Beati Albini monachum fecit, quatuor denarios de censu et IIIor sextarios frumentagii quos prior de Fissa de quadam vinea que erat ad Borc Chevrel ei singulis annis reddebat, insuper etiam quintum denarium de censu, et quintum sextarium de suo proprio frumentagio, ad magnam mensuram, annuatim eidem ecclesie perpetuo possidendum in elemosinam dedit. Hoc autem Adelaiz, mater eorum, in capitulo benigne concessit, acceptoque ecclesie beneficio, donum cum quadam virgula super altare beati Albini posuit, videntibus istis: Hylario priore de Fixa, Herberto priore, Guarino armario, Stephano cantore, Gaufrido helemosinario, Petro, Gaufrido, Rotberto, pueris ; de laicis : Huberto cementario, Huberto de Roca.

Aliquanto vero tempore elapso, idem Gaufridus ad extrema vite perductus, pro remedio anime sue et parentum suorum, IIIor sextarios frumentagii jamdicte ecclesie in elemosinam delegavit, et ut monachi ipsius ecclesie supradicta dona, videlicet V denarios annui census et VIII sextarios frumentagii, deinceps libera et quieta ab omni consuetudine, exactione atque servicio im perpetuum possiderent firmiter stabilivit.

Jamdicto siquidem Guarino viam carnis universe ingresso et juxta ecclesiam sepedicti Albini humato, quidam homo dictus Harduinus Culfarin, sororius defuncti, supradictam elemosinam calumpniari et monachos inde inquietare cepit ; sed in curia excellentissimi regis Anglorum Henrici et venerabilis regine Alienoris ei adjudicatum fuit Andegavis quod elemosina legitima erat et nullatenus violari debebat. Quo audito, Harduinus elemosinam

gratanter concessit, et se eam monachis quoad viveret se conservaturum (sic) fideliter promisit, videntibus et audientibus istis : Isembardo priore, Hilario priore de Fissa, Herberto hospitiario, monachis, Hugone de Cleeriis, Rainaldo Rufo, Hugone de Turonis, Chalone preposito Andegavensi, Rainaldo de Vool, et pluribus aliis.

Item memorie sequentium notandum est quod quidam miles, nomine Chalepinus de Valle, habitum monachi in ecclesia Beati Albini suscepit et in presentiarum et in elemosinam dedit videlicet decimam terre que est inter duas vias prope Fixam et decimam vinee Herrerie, decimam quoque vinee Malmeschin de Fissa, et decimam vinee Rotberti Cheve, et decimam vinee que erat familie Gaufridi Britonis, et decimam quarterii qui est subtus domum Fromundi Becce anseris. Hoc donum Girardus et Robinus, filii ejus, concesserunt, et in obitu patris decimam trium quarteriorum prope tuscham eidem ecclesie dederunt.